

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9162

Auteur(s) : Guillaume de Tournebu, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1187-1202]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume évêque de Coutances confirme à Savigny les donations de biens situés dans son diocèse.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Bibl. mun., collection Leber, 3122, n° 19.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Constanciens, n° XL)

Texte d'après A

Universis Christi fidelibus Willelmus, Dei gracia Constanciensis episcopus, salutem in Domino perpetuam. Justis religiosorum desideriis grato concurrere tenemur assensu ut et auctoritate nostra prospiciatur eorum quieti et firmorum paretur securitas. Eapropter que dilecti in Christo Willelmus abbas et monachi Savigneii in episcopatu nostro ex piis fidelium donationibus habent ipsis concedimus et divine pietatis et religionis intuitu confirmamus ; que quidem propriis duximus exprimenda vocabulis. Ex dono Willelmi de Musca VII quarterios et dimidium frumenti in Mesnillo Drononis. Ex dono Ricardi de Haia, concedente Matilde uxore sua M angillas annuatim percipiendas de piscaria sua de Aureo palo (sic), in festo Sancti Andree. Ex dono Alani de Sancto Petro unam acram terre apud Donvillam et I teseuram juxta piscariam. Ex dono Petri, Johannis, Petri et Roberti filiorum Willelmi de Valle concessionem Gaufridi de Landa apud Montem martini unum campum qui dicitur Longus campus. Ex dono Willelmi de Sancto Johanne dimidiā acram terre et dimidiā virgatam in bosco et prati apud Ikelon. Ex dono Willelmi de Monte Acuto concessionem Roberti fratris sui I quarterium frumenti annuatim reddendum de masura de Gobauderia. Ex oncessione Ranulfi de Vireio et dominorum de Filgeriis ecclesiam de Heuduimesnil integre, exceptis II garbis decime quas monachi et canonici de Filgeriis in illa parrochia habent preterquam in terra elemosine de qua totam decimam habent monachi Savigneii ex indulgentia Ricardi predecessoris nostri et nostra. Ex dono Willelmi de Vireio, concessionem Roberti filii sui et fratrum ejus Gervasii (et) Ricardi et filii ejus Willelmi (et) filiarum Olive et Nicolae totam terram de Heuduimesnil quam dicitur Elemosina, de qua ecclesia de Heuduimesnil percipiet annuatim unam minam frumenti per manum monachorum. Ex concessionem Ranulfi de Vireio et dominorum de Campo Arnulfi Ricardi et Jordani ecclesiam de Monte Martini integre, salvo redditu bladii ecclesie Constancensis secundum formam compositionis que in carta nostra continetur. Compositionem quoque ratam habemus et gratam que facta fuit auctoritate sedis apostolice inter abbatem et monachos Savigneii ex una parte et Gaufridum de Monteforti, uxorem ejus Gervaseiam de Saeio et heredes eorum ex altera sub hac videlicet

forma quod dicti monachi presentationem ecclesie de Govilla in proprium habebunt, Gaufridus vero, uxor ejus Gervasia et heredes eorum presentationem ecclesie de Ketevilla obtinebunt ; in utraque autem parrochia percipient monachi medietatem omnium decimarum frugum, leguminum, lini, cannabi, animalium, fructuum et lanarum, altera medietate cedente in partem Gaufridi, gervasie uxoris sue et heredum suorum, salvis tamen in decima de Govilla XX quarteris ordei qui de communi reddentur Exaquensi monasterio ; persone vero et vicarii utriusque ecclesie coram episcopo Constanciensi juramento firmabunt se monachorum et domini de Saieo jus fideliter integre in illis ecclesiis observavre ; decimatores quoque utriusque partis apud Ketevillam fidem prestabunt se decimas fideliter congregare iner domos monachorum et reliquam partem ecclesio sine et ibi dividentur. Item ecclesiam de Balena integre cum pertinenciis suis. Ex dono quoque radulfi de Filgeris piscariam de Arundel. Ex dono Gaufridi de Saeio masuram de Belmont cum pertinenciis suis. Ex dono Hugonis Murdac et filiorum ejus decimam omnium molendinorum suorum. Ex dono Radulfi de landa III acras terre in Landa Gauman. Hec autem omnia memoratis abbatи et monachis Savigneii libere et pacifice tenenda concedimus, Salvo jure Constanciensis ecclesie et tam poresentium litterarum testimonio quam nostri sigilli munimine confirmamus.